

† R. P. Wilfridus Edmed (1895-1937)
(Prov. Angl.)



Huic bono confratri, qui solum ad aetatem 42 annorum pervenit, vitae cursus obtigit haud communis.

Natus in Orpington in comitatu Kent a. 1895, in sinu familiae acatholicae confessioni « Congregationalistarum » strenue addictae, tamen quadriennis a patre, istius sectae ministro, festo Domini Natalis in ecclesiam catholicam oppidi Camberwell in comitatu Londinensi ductus est, et in eadem ecclesia ipse postea, interim ad veram fidem conversus et Redemptorista factus, missionem praedicavit.

Studiis in schola Roan absolutis, annos natus sedecim cuidam societati navigatoriae (*Union Castle Steamship Company*) nomen dedit, scribae munere functurus, atque ibi tam bene se gessit, ut eius locus diu eo absente manserit apertus. Belli enim magni tempore fuit voluntarius miles, et centurio quidem seu ordinum ductor, quo servitio finito ad pristinum officium rediit.

Circa idem tempus transiit ad sectam Anglicanam, et illam quidem, quae propius ad Ecclesiam catholicam accedit et Anglo-Catholica appellatur. At eius fervor religionis non impediebat quominus serio de veritate totius protestantismi dubitaret; adiit itaque « episcopum » Anglicanum Gore, qui forti animo ei dixit: « Si ita animo sentis, oportet te fieri catholicum ».

Sicut olim Lydiae purpurariae¹, ita Wilfridi *Dominus aperuit cor intendere his quae dicebantur*: ubi autem in verae Ecclesiae sinum receptus

¹ Act. 16, 14.

est, mox ad altiora se vocatum intellexit, ad statum sacerdotalem et reli-giosum. Verumtamen, cum nondum Latinam Graecamque linguam satis calleret, mense Octobri 1921 collegium Osterley (Middlesex) ingressus est, a R. P. Edmundo Lester S. I. pro « sero-vocatis » conditum. Folia periodica, quae « Stella Maris » inscribuntur, in fasciculo Maii 1937, p. 135-137 Anglice ea exhibent, quae nos hic Latine, et de hoc dicti col-legii alumno 26 annorum dicunt eum omnibus condiscipulis praeclaro fuisse exemplo cum moribus tum litterarum studio.

A. 1922 nostrum novitiatum intravit, anno sequenti vota nuncupavit, a. 1928 sacerdos ordinatus est in studentatu Hawkstone. Absolutis studiis per aliquod tempus vacavit ministerio sacerdotali in paroecia nostra Clap-ham et magisterio mathematicae in iuvenatu nostro, annis autem 1931-1935 in missionali campo domuum Liverpool (Bishop Eton) et Bishop's Stortford.

Sermones suos praeparabat cura singulari, et zelo admirabili singulas animas quaerere et salvas facere satagebat, dicere solitus: « Praedico uni aequa ac mille audientibus ». Qua de causa in paroecis exiguis apprime proficiebat, velut in comitatu Norfolk. Quod acatholicos peculiari studio ad Ecclesiam attrahebat, quis est qui miretur? Sed sanctimonialibus quoque multum placebat exercitia tradens spiritualia. Regularum et consuetudinum nostrarum erat strenuus observator.

A. 1935, cum tumor malignus in eius cerebro repertus esset, chirurgi cultro se subiecit, et licet valetudinem bonam non recuperarit, tamen in ecclesia et paroecia Bishop's Stortford pro viribus laborare perrexit, foris quoque, velut in Mariano sanctuario Walsingham (Norfolk), quo item aca-tholici numerosi confluunt, et in conventu monialium Upminster (Essex).

Sabbato 27 Februarii 1937 ait se frigore quodam tectum esse, at ni-hilominus postridie noluit negotio suo deesse. « Negotium » eius erat ce-lebratio Missae h. 8 cum brevi instructione et contio intra Missam h. 11. Ad hos sermones, vitae suaे ultimos, summa cura se paraverat, et eorum egregiam virtutem omnes admirati sunt, quamquam tristis eius valetudinis status nemini erat notus.

Feria II h. 11 se fatigatum esse ait, quin etiam brevi post iam coepit delirare, eatenus tamen sui compos, ut iterato suam cum Dei voluntate unionem declararet Deumque saepe oraret: « Adiuva me ut me fortè virum ostendam! ». Crescente magis magisque febri, fer. III mane animus eum defecit, et recepta extrema unctione h. 10.45 Creatori suo tradidit spiritum. Sepultus est in Londinensi coemeterio Streatham Parc.

P. Wilfridus Edmed sua fecerat verba Psalmistae (56, 7 et 107, 1): *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Vix cognoverat catholicam veritatem, cum huic uni verae Ecclesiae Christi sese aggregavit. Vix al-

teram vocem Domini audierat: *Veni, sequere me!* cum et huic voci prompte oboediens *in simplitate cordis laetus obtulit universa*. Qui genuinus religiosus haud semel confessus est: «Plura Deo dare et sacrificare velim», et biennio infirmitatis atque hora mortis holocaustum suum reddidit perfectum. R. I. P.